

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 373

**Auteur(s) :** Guy, Le Mans (évêque)

**Genre d'acte :** autre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1129, 8 novembre

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Procès-verbal de non-comparution des religieux de Jumièges à un plaid auquel ils avaient été convoqués en même temps que les religieux de Saint-Vincent du Mans par Guy, évêque du Mans, et dans lequel il devait être statué sur les réclamations par eux formulées contre l'abbaye de Saint-Vincent relativement aux églises de « Curtgazenum (Courgains ?) » et de « Sagona (Saosnes ?) ».

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Vernier Jules-Joseph, *Chartes de l'abbaye de Jumièges (v. 825-1204)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1916, 2 vol., n° LVIII, t. 1, p. 151-154.

Texte établi d'après a

Memoriæ posterorum commendandum decrivimus quod monachi Gemeticensis ecclesiæ calumniabuntur monachis sancti Vincentii ecclesiam de Curtgazeni et ecclesiam de Sagona. Unde factum est, illis facientibus clamorem ad episcopum, ut ipse dominus Wido, episcopus Cenomannensis, et Gemeticensibus monachis et monachis sancti Vincentii diem ad placitandum constitueret, designaret et locum et horam. Diem, ut, aliis relictis quibusque negotiis, utrique ad placitandum in die determinata paratores haberentur. Locum, ut quo convenire deberent, non ignorarent ; parum enim profusset diem placiti denominasse, nisi designaretur et locus. Horam, ne in aliquo aliqua dubietas permaneret. Dies igitur fuit in qua placitare utrique monachi debuerunt, octava omnium sanctorum ; locus, curia episcopi in urbe Cenomannica. Appropinquante itaque termino placiti, monachi Gemeticensis ecclesiæ cum abbatte suo nomine... ad urbem Cenomanicam pridie quam placitum fieri deberet convenerunt. Nocte vero eadem, circa medianam partem noctis, ipsi monachi Gemeticenses cum suo abbatte recedentes, non expectaverunt placitum, quod de predictis calumniis cum monachis sancti Vincentii facere debebant. Quid vero causæ extiterit ut taliter recederent, nos nescimus. Hoc vero solum scimus quia monachi sancti Vincentii in die prænominata, in octavis omnium sanctorum, et loco, in curia domni Widonis episcopi, et hora competenti præsentes fuerunt, respondere parati predictis monachis de supramemoratis calumniis. Sed, sicut superius diximus, quia ipsi monachi Gemeticenses recesserant, nullus inventus est qui cum monachis sancti Vincentii de predictis calumniis placitaret. Hoc viderunt et audierunt isti, dominus Wido episcopus, dominus Daniel abbas Ebronensis, dominus Johannes sancti Nicolai Andegavis, dominus Wilhelmus de Boeria, abbas sancti Vincentii. Viderunt etiam et hoc Paganus decanus, Hugo de Lavardino, Gradulphus, Wilhelmus, Burellus, archidiaconi, Willelmus Muschet archipresbiter, Ansgerius cantor sancti Juliani, Paganus Aldricus canonicus ejusdem ecclesiæ, Robertus Calamus cantor sancti Petri de Curia, Paganus de Chalis, Wilhelmus de Ambreriis, Paganus filius Ildeberti, et Vicherius, clerici. Cum domno Wilhelmo de Boeria, abbate sancti Vincentii, qui totam hujus calumniæ sustinuit oppressionem, fuerunt isti de suis monachis, Rodulfus prior, Albertus, Ambrosius, Willelmus Rufus. Affuerunt etiam et alii tam clerici quam milites, quorum nomina longum duximus enarrare. Hoc factum est. VI. idus novembris, Widone Cenomannorum episcopo, Ulgerio Andegavorum

episcopo, Gaufrido comite Turonorum, Andegavorum et Cenomannorum, patre suo Fulcone rege Jerosolymorum.  
Anno ab incarnatione Domini .M. C. XXIX.